

simis poetæ verbis jam animadvertimus, hic quoque duos esse versus ὁμοιοτελευτας. Hæc vero nobis tam antiqua non videntur, ut ea in antiquissimis hebraicis carminibus quæramus. Casaubonus *de Poemat. cantu* primos rythmos Neronis demum temporibus quærendos esse dicit, cui adstipulatur Salomon van Till in *Dicht = Eing = und Spiel = Kunst* p. 49. Psalmi pariter Alphabetici, qui a librariis procul omni dubio nobis integri sunt conservati, quod literarum ordo docet, nullos exhibent rythmos, sed minora τμήματα. Neque LXX. senes, neque Chaldæus, qui istis temporibus codicem sacrum interpretati sunt, quibus Hebræorum Musica florebat, quicquam exhibent, quod constantes Hebræorum rythmos indicaret, sed plane de iis tacent; nec Talmudici vel ulli alii Rabbinii certi quid de istis proferunt. In Alcorano ὁμοιοτελευταῖ legimus; verum censente Scaligero *in Animadv. ad Euseb. Chron.* p. 7. non intenta, sed a Criticis, cola & cæsa, qui designarunt, conquisita. Veremur, ne simile quid codici Hebræo contingat. Judæi proinde multi ægre ferunt sæpius, quod Carmina Hebraica hodie scribantur rythmice; audiamus, quæ in *Cofri Part. II. p. m. 135.* de rythmis dicunt, *Hoc est ex erroribus & peccatis nostris. Non sufficit scilicet nobis relinquere gradum & dignitatem istam rerum vel realem; sed insuper corrumpimus qualitatem linguæ nostræ, que cum data sit ad nos conjungendos, nos eam convertimus in materiam discordiæ:* Rursus p. 136. *Quod ad usum Carminum illorum certa pedum & syllabarum dimensione constantium attinet, idem nobis circa illa accidit, quod olim Patribus nostris, de quibus dictum est: & commiscuerunt se cum gentibus & didicerunt opera eorum, Ps. 106. v. 35. h. e. ea non habemus a Majoribus & Patribus nostris, sed Gentilibus Græcis, Arabibus &c. & ad illorum imitationem ea facimus. Inclinat ad eandem sententiam Abarbenel, inquit: Rythmica & metrica hodie usitata carmina, non esse usurpata in libris sacris, sed assumpta ab Arabibus; his tamen esse præstantiora hebræa. Vid. Buxtorfi Mant. p. 408. seqq.*